

/ Illustris, et venerabilis in Christo domina et filia. Litterae tuae, quae pietatem, et religionem spirant, valde me commovent; et si auctoritas tanta esset in me, quanta est voluntas, iam dudum ab omnibus molestiis liberata, Christo Domino dulcissimo  
5 sponso tuo cum exultatione servires; quamquam et nunc non cum minore spirituali lucro in tribulatione deservis. Egi rursum cum Sanctissimo patre nostro Paulo Quinto Summo Pontifice, eumque certiores reddidi de omnibus, quae ad me scripsisti die 16 Septembris; nec destiti orare, ut tandem aliquando scribat nuncio suo Apostolico,  
10 ut iubeat, te in sanctam illam congregationem admitti, et in ea professionem emittere. Doleo vehementer, quod mundus ita praevaleat, ut pia desideria tam sanctae virginis tam diu retardentur; sed spero, ~~et~~ omnino facturum Deum primo quoque tempore cum tentatione proventum. Tantum, filia carissima, toto corde fidas in Christo spon-  
15 so tuo: non enim deseret te, etsi ad tempus probat fidem, et patientiam tuam, ut aurum in fornace. Ego non desinam orare Deum pro perseverantia tua; et tu vicissim senectutem meam orationibus tuis apud Deum iuva, ut feliciter cursum consummem, et ad veram patriam nostram, quae est in caelis, aliquando perveniam. Romae die 3 No-  
20 vembris 1611.